


# I. MISSA PRO DEFUNCTIS


## Antiphona I ad introitum

VI F



**R** é-qui-em \* æ-tér- nam do-na e-is, Dó-  
mi- ne: et lux perpé-tu- a lú-ce-at  
e- is.


## Psalmus 64



Ψ. 1 *Te de-cet* hymnus, De-us, *in Si-* on; \* et ti-bi  
reddétur votum *in Ierú-* sa-lem. Ant. Ré-qui-em.


- 2 *Qui audis oratiónem,* \* ad te omnis caro véniet prop-  
ter *iniquitátem.* Ant. Réquiem.
- 3 *Etsi prævaluérunt super nos impietátes nostræ,* \* tu  
propitiáberis eis. Ant. Réquiem.
- 4 *Beátus quem elegísti et assumpsísti,* \* inhabitábit  
in *átriis tuis.* Ant. Réquiem.
- 5 *Replébimur bonis domus tuæ,* \* sanctitáte *templi tui.*  
Ant. Réquiem.

## Antiphona II ad introitum

IV E 

**D**ona e- is, Dómine, \* réqui- em sempi- tér- nam.

## Psalmus 6



¶. 1 *Dómi- ne, ne in furó- re tu- o árgu- as me, \* ne-*



que in i- ra tu- a *corri- pi- as me. Ant. Dona e- is.*



¶. 3 ... sed tu, *Dómi- ne, úsquequo?*

2 *Miserére mei, Dómine, quóniam infirmus sum; \* sana me, Dómine, quóniam conturbáta sunt ossa mea. Ant. Dona.*

3 *Et ánima mea turbáta est valde, \* sed tu, Dómine, úsquequo? Ant. Dona.*

4 *Convértere, Dómine, éripe ánimam meam; \* sal- vum me fac propter misericórdiam tuam. Ant. Dona.*


5 *Quóniam non est in morte qui memor sit tui, \* in inférno autem quis confitébitur tibi? Ant. Dona.*

6 *Turbátus est a mærore óculus meus, \* inveterávi inter omnes inimicos meos. Ant. Dona.*


7 *Discédite a me, omnes qui operámini iniquitátem, \* quóniam exaudivit Dóminus vocem fletus mei. Ant. Dona.*

8 *Exaudivit Dóminus deprecationem meam, \* Dó- minus oratióem meam suscepit. Ant. Dona.*

## Antiphona III ad introitum



**A** -pe-rí- te mi-hi \* portas iustí-ti-æ, et ingrés-




sus in e- as confi- tébor Dómino.


## Psalmus 117



Y. 1 Confi-témini Dómino, quóni- am bo- nus, \* quó-



ni- am in sæcu-lum mi-se-ri-cór-di-a e- ius.



Ant. Ape-rí- te. Flexa: virtútem, †

- 2 *De tribulatione* invocávi **Dóminus**, \* et exaudivit me edúcens in latitúdinem **Dóminus**. Ant. Aperíte.
- 3 **Dóminus** **mecum**, \* non timébo quid fáciat *mihi* **homo**. Ant. Aperíte.
- 4 *Bonum* est confúgere ad **Dóminus**, \* quam confídere in **hómine**. Ant. Aperíte.
- 5 *Bonum* est confúgere ad **Dóminus**, \* quam confídere in *príncipibus*. Ant. Aperíte.
- 6 *Impelléntes* impulérunt me, ut **cáderem**, \* et **Dóminus** *adiúvit* me. Ant. Aperíte.
- 7 *Fortitúdo* mea et laus mea **Dóminus**, \* et factus est mihi in *salútem*. Ant. Aperíte.


- 8 *Déxtera Dómini fecit virtútem, † déxtera Dómini exaltávit me; \* déxtera Dómini fecit virtútem.* Ant. *Aperíte.*
- 9 *Non móriar, sed vivam, \* et narrábo ópera Dómini.* Ant. *Aperíte.*
- 10 *Hæc porta Dómini, \* iusti intrábunt in eam.* Ant. *Aperíte.*
- 11 *Confitébor tibi, quóniam exaudísti me, \* et factus es mihi in salútem.* Ant. *Aperíte.*

## Psalmus responsorius I C 2 g ,


Ps. 41



Y. 1 Quemádmódum de-sí-derat cer-vus \* ad fontes



a-quárum, R̄. De-sí-de-rat á-nima me- a ad te,



De- us.


- 2 Sitívit ánima mea ad Deum, Deum **vivum**: \* quando véniam et apparebo ante fáciem **Dei**? R̄. Desíderat.
- 3 Fuérunt mihi lácrimæ meæ panis diè ac **nocte**, \* dum dicitur mihi cotidie: « Ubi est Deus **tuus**? » R̄. Desíderat.
- 4 Hæc recordátus sum et effúdi in me ánimam **meam**; \* quóniam transíbam in locum tabernáculi admirábilis usque ad domum **Dei**. R̄. Desíderat.
- 5 In voce exsultatiónis et confessiόnis, \* multitudinis festa celebrántis. R̄. Desíderat.
- 6 Quare tristis es, ánima **mea**, \* et quare conturbáris **in me**? R̄. Desíderat.
- 7 Spera in Deo, quóniam adhuc confitébor **illi**, \* salutáre vultus mei et Deus **meus**. R̄. Desíderat.

## Psalmus responsorius II E 3

Ps. 88




Ψ. 1 Mi-se-ri-córdi-as **Dómi-ni** R̄. In æ-térnum can-




tábo.



Ψ. 2 In gene-ra-ti-ó-nem et gene-ra-ti-ó-nem \* an-



nunti-ábo ve-ri-tá-tem tu-am in o-re me- o. R̄. In



æ-térnum cantábo.

3 Quóniam dixísti: ' « In ætérnum misericórdia ædifi-  
cábitur », \* in cælis firmábitur véritas **tua**.

R̄. In ætérnum.

4 Confitebúntur cæli mirabília tua, **Dómine**, \* ét-  
enim veritátem tuam in ecclésia sanctórum.

R̄. In ætérnum.

5 Deus, metuéndus in consílio sanctórum, \* ma-  
gnus et terríbilis super omnes qui in circúitu eius  
sunt. R̄. In ætérnum.

6 **Dómine** Deus virtútum, quis símilis tibi? \* Potens  
es, **Dómine**, et véritas tua in circúitu tuo.

R̄. In ætérnum.


7 Iustítia et iudícium firmaméntum sedis tuæ. \* Mi-  
sericórdia et véritas præcédent fáciem tuam.

R̄. In ætérnum.


- 8 Beátus pópulus qui scit iubiliónem; \* Dómine, in  
lúmine vultus tui ambulábunt. R̃. In ætérnum.
- 9 Et in nómine tuo exsultábunt tota **die**, \* et in iustí-  
tia tua exaltabúntur. R̃. In ætérnum.
- 10 Quóniam decor virtútis eórum **tu** es, \* et in bene-  
plácito tuo exaltábitur cornu **nostrum**.  
R̃. In ætérnum.

## Psalmus responsorius III D I E


Ps. 121




Ψ. 1 Læ-tátus sum in e-o quod dixé-runt **mi-** hi:



R̃. In domum Dómi-ni læ-tántes í-bimus.



Ψ. 2 Stantes iam sunt pedes **no-** stri \* in portis tu- is,




*Ierú*-sa-lem. R̃. In domum Dómini.

- 3 Ierúsalem, quæ ædificáta est ut **cívitas** \* sibi com-  
pácta *in idípsum*. R̃. In domum.
- 4 Illuc enim ascendérunt tribus, tribus **Dómini**, \*  
testimónium Israel, ad confiténdum nómini **Dómini**.  
R̃. In domum.
- 5 Quia illic sedérunt sedes ad iudícium, \* sedes *domus*  
**David**. R̃. In domum.
- 6 Rogáte quæ ad pacem sunt *Ierúsalem*, \* secúri sint  
*diligéntes te*. R̃. In domum.

- 7 Fiat pax in muris **tuis**, \* et securitas in túrribus **tuis**. R̄. In domum.
- 8 Propter fratres meos et próximos **meos** \* loquar: « Pax in te! » R̄. In domum.
- 9 Propter domum Dómini Dei **nostri** \* exquíram *bona* tibi. R̄. In domum.


Alleluia

Ps. 129



**A** l-le-lú-ia, alle-lú-ia, alle-lú-ia.

Omnes repetunt: Allelúia, allelúia, allelúia.



ψ. 1 De pro-fúndis clamávi ad te, Dómine; \* Dómine,



exáudi vo-cem **me-** am. Omnes: Allelúia.

- 2 *Fiant* aures tuæ **intendéntes** \* in vocem depreca-tiónis **meæ**. Omnes: Allelúia.

vel Psalmus alleluiaticus I E \*

Ps. 113 A



ψ. 1 In éx-i-tu Isra-el de Ægyp-to, \* domus Ia-cob




de pópu-lo **bárbaro**. R̄. Alle-lú-ia, alle-lú-ia.

- 2 Factus est Iuda sanctuárium eius, \* Israel potéstas eius. R̄. Allelúia.


- 3 Mare vidit et **fugit**, \* Iordánis convérsus est **retrórsum**. R̃. Allelúia.
- 4 Montes saltavérunt ut **aríetes**, \* et colles sicut **agni óvium**. R̃. Allelúia.
- 5 Quid est tibi, mare, quod **fugísti**? \* et tu, Iordánis, quia convérsus es **retrórsum**? R̃. Allelúia.
- 6 Montes, quod saltástis sicut **aríetes**, \* et colles, sicut **agni óvium**? R̃. Allelúia.
- 7 A fácie Dómini, contremísce, **terra**, \* a fácie Dei **Iacob**. R̃. Allelúia.
- 8 Qui convértit petram in stagna **aquárum**, \* et sílicem in fontes **aquárum**. R̃. Allelúia.

## Psalmus alleluiaticus II D I b

Ps. 62



Y. I De-us, De-us me-us **es** tu; \* ad te de luce




**ví-gi-lo**. R̃. Alle-lú-ia, alle-lú-ia.

- 2 Sitívit in te **ánima mea**, \* te desiderávit caro **mea**. R̃. Allelúia.
- 3 In terra desérta et árida et inaquósa, ' sic in sancto appáruí **tibi**, \* ut vidérem virtútem tuam et gló-riam **tuam**. R̃. Allelúia.
- 4 Quóniam mélior est misericórdia tua super **vitas**, \* lábia mea laudábunt te. R̃. Allelúia.
- 5 Sic benedícam te in vita **mea**, \* et in nómine tuo levábo manus **meas**. R̃. Allelúia.
- 6 Sicut ádipe et pinguédine repleátur **ánima mea**, \* et lábiis exsultatiónis laudábit os **meum**. R̃. Allelúia.
- 7 Cum memor ero tui super stratum **meum**, \* in matu-tínis meditábor **de** te. R̃. Allelúia.

- 8 Quia fuísti adiutor **meus**, \* et in velaménto alárum tuárum exsultábo. R̃. Allelúia.
- 9 Adhæsít ánima mea **post** te, \* me suscepit dextera tua. R̃. Allelúia.

## Psalmus alleluiaticus III E I

Ps. 129



Ψ. I De pro-fúndis clamá-vi ad te, **Dómine**; \* **Dómi-**




ne, exáudi vo-cem **me-** am. R̃. Alle-lú-ia, alle-lú-ia.

- 2 Fiant aures tuæ intendéntes \* in vocem deprecaciónis **meæ**. R̃. Allelúia.
- 3 Si iniquitátes observáveris, **Dómine**, \* **Dómine**, quis sustinébit? R̃. Allelúia.
- 4 Quia apud te propitiátio est, \* et timébimus te. R̃. Allelúia.
- 5 Sustínui te, **Dómine**, ' sustínuit ánima mea in verbo eius, \* sperávit ánima mea *in* **Dómino**. R̃. Allelúia.
- 6 Magis quam custódes auróram, \* speret Israel *in* **Dómino**. R̃. Allelúia.
- 7 Quia apud **Dóminum** misericórdia, \* et copiósá apud eum *redemptio*. R̃. Allelúia.
- 8 Et ipse rédimet **Israel** \* ex ómnibus iniquitátibus eius. R̃. Allelúia.

## Tractus

Ps. 122




Ψ. I Ad te levá-vi ócu-los **me-** os, \* qui hábi-tas *in*




cæ-lis. V. 2 Ecce.

- 2 Ecce sicut óculi servórum ad manus dominórum suórum, \* sicut óculi ancillæ ad manus dómine suæ.
- 3 Ita óculi nostri ad Dóminum Deum nostrum, \* donec misereátur nostri.
- 4 Miserére nostri, Dómine, miserére nostri, \* quia multum repléti sumus despectiône;
- 5 Quia multum repléta est ánima nostra \* derisióne abundántium et despectiône superbórum.

### Antiphona I ad offertorium




**R** edémptor me- us vi-vit, \* et in no-víssimo




me reno-vábit.


### Psalmus 17



V. 1 *Di*-ligam te, Dómine, forti-túdo me- a.\* Dómine,



firmaméntum me-um et refú-gi-um me-um et li-be-




rá-tor me- us. Ant. Redémptor.

- 2 *Funes inférni circumdedérunt me, \* præoccupavérunt me láquei mortis.* Ant. Redémptor.
- 3 *In tribulatióne mea invocávi Dóminum, \* et ad Deum meum clamávi.* Ant. Redémptor.
- 4 *Exaudívit de templo suo vocem meam, \* et clamor meus in conspéctu eius introívit in aures eius.* Ant. Redémptor.

### Antiphona II ad offertorium

IV E



**H** a-bi-tábit \* in tabernácu-lo tu-o, requi-é-scet

in monte sancto tu-o.

### Psalmus 14



Ψ. 1 *Qui ingréditur si-ne mácu-la, \* et ope-rá-tur iu-*

*stí-ti-* am. Ant. Ha-bi-tá-bit. Ψ. 2 ... do-lum *in lin-*

*gua su-* a. Ψ. 4 *Qui fa-cit hæc, \**

- 2 *Qui lóquitur veritátem in corde suo, \* qui non egit dolum in lingua sua.* Ant. Habitábit.

- 3 *Nec fecit próximo suo malum, \* et oppróbrium non intulit próximo suo. Ant. Habitábit.*
- 4 *Qui facit hæc, \* non movébitur in ætérnum. Ant. Habitábit.*

### Antiphona III ad offertorium

V a



I n conspéctu \* Ange-ló-rum psallam ti-bi, De- us



me- us.

### Psalmus 137



Y. I *Confi-tébor tibi, Dómine, in toto corde me- o, \**



quóni- am audísti verba o- ris me- i. Ant. In




conspéctu. Flexa: **pro** me; †


- 2 *In quacúmque die invocávero te, exáudi me; \* multiplicábis in ánima mea virtútem. Ant. In conspéctu.*
- 3 *Si ambulávero in médio tribulatiónis, vivificábis me; \* et salvum me fáciet délixtera tua. Ant. In conspéctu.*
- 4 *Dóminus opus pérficiet pro me; † Dómine, misericórdia tua in sæculum: \* ópera mánuum tuárum ne remíttas. Ant. In conspéctu.*

## Antiphona I ad communionem

VIII G




**L**ux æ-térna \* lúce- at e- is, Dómine: cum sanc-



tis tu- is in ætérnum, qui- a pi- us es.


## Psalmus 129



Y. 1 *De pro-fúndis clamávi ad te, Dómi-ne; \* Dómine,*



exáudi vo- cem me- am. Ant. Lux æ-térna.




Flexa: Dómine; †


- 2 *Fiant aures tuæ intendéntes \* in vocem depreca-  
tiónis meæ. Ant. Lux ætérna.*
- 3 *Si iniquitátes observáveris, Dómine, \* Dómine, quis  
sustinébit? Ant. Lux ætérna.*
- 4 *Quia apud te propitiátio est, \* et timébimus te.  
Ant. Lux ætérna.*
- 5 *Sustínui te, Dómine; † sustínuit ánima mea in verbo  
eius, \* sperávit ánima mea in Dómino. Ant. Lux ætérna.*
- 6 *Magis quam custódes auróram, \* speret Israel in  
Dómino. Ant. Lux ætérna.*
- 7 *Quia apud Dóminum misericórdia, \* et copiósá  
apud eum redémptio. Ant. Lux ætérna.*
- 8 *Et ipse rédimet Israel \* ex ómnibus iniquitátibus  
eius. Ant. Lux ætérna.*

## Antiphona II ad communionem

II D




**A** udí-vi vo-cem \* de cælo di-céntem: Be-á-ti



mórtu-i, qui in Dómino mo-ri-úntur.

## Psalmus 120



ψ. 1 *Le-vábo* ócu-los me-os in **mon**-tes: \* unde vé-ni-



et auxí-li-um **mi**-hi? Ant. Audí-vi vocem.



Flexa: custódit te, †

2 *Auxílium* meum a **Dómino**, \* qui fecit cælum *et* **ter**-ram. Ant. Audívi.

3 *Non dabit* in commotió-nem pedem **tuum**, \* neque dormitábit qui *custódit* te. Ant. Audívi.

4 *Ecce non dormitábit* neque **dórmiet**, \* qui *custódit* **Israel**. Ant. Audívi.

5 *Dóminus custódit* te, † *Dóminus umbráculum* **tuum**, \* ad manum *déxteram* **tuam**. Ant. Audívi.

6 *Per diem* sol non percútiet te, \* neque luna *per noc*-tem. Ant. Audívi.

7 *Dóminus custódi*et te ab omni **malo**; \* custódi-et *ánimam* **tuam** **Dóminus**. Ant. Audívi.


8 *Dóminus custódi*et intróitum tuum et *éxitum* **tuum**, \* ex hoc nunc et usque *in* **sæculum**. Ant. Audívi.

## Antiphona III ad communionem

VIII c




**P**órti- o me- a, Dómine, \* sit in terra vivén-




ti- um.

## Psalmus 141



Y. I Vo- ce me- a ad Dóminum cla- mo, \* voce me- a



ad Dóminum déprecor. Ant. Pórti- o.

- 2 *Effúndo* in conspéctu eius lamentatióem **meam**, \* et tribulatióem meam ante ipsum *pronúntio*. Ant. Pórtio.
- 3 *In deficiéndo* in me spíritus **meus**, \* tu cognovisti *sémitas meas*. Ant. Pórtio.
- 4 *In via* qua ambulábam, \* abscondérunt láqueum **mihi**. Ant. Pórtio.
- 5 *Consídera* ad déxteram, et **vide**: \* et non est *qui agnóscat* me. Ant. Pórtio.
- 6 *Péruit* fuga **a** me, \* et non est qui requírat *ánimam meam*. Ant. Pórtio.
- 7 *Clamávi* ad te, **Dómine**; \* dixi: «Tu es refúgium **meum**. Ant. Pórtio.
- 8 *Inténde* ad deprecatióem **meam**, \* quia humiliá-  
*tus sum nimis*. Ant. Pórtio.
- 9 *Líbera* me a persecuéntibus **me**, \* quia confortáti  
*sunt super me*. Ant. Pórtio.
- 10 *Educ* de custódia *ánimam meam* \* ad confiténdum  
*nómini tuo*. Ant. Pórtio.
- 11 *Circúmdabunt* me **iusti**, \* cum retribúeris **mihi**». Ant. Pórtio.

## II. ORDO EXSEQUIARUM

### Ad vigiliam pro defuncto

Quando corpus defuncti in feretro deponitur, cantari possunt sequentes antiphonæ cum psalmis:

#### Antiphona I


IV A 

**A** - pud Dóminum \* mi-se-ri-córdi- a, et copi-




ó- sa apud e- um redémpti- o.


#### Psalmus 129



ψ. 1 *De profúndis clamávi ad te, Dómi-ne; Dómi-ne,*



*exáudi vo-cem me-* am. Ant. Apud Dóminum.




Flexa: Dómine; †

- 2 *Fiant aures tuæ intendéntes \* in vocem deprecaciónis meæ.* Ant. Apud Dóminum.
- 3 *Si iniquitátes observáveris, Dómine, \* Dómine, quis sustinébit?* Ant. Apud Dóminum.

- 4 *Quia* apud te propitiatio est, \* et *timébimus* te.  
Ant. Apud Dóminum.
- 5 *Sustínui* te, **Dómine**; † *sustínuit* ánima mea in *verbo* eius, \* sperávit ánima *mea* in **Dómino**.  
Ant. Apud Dóminum.
- 6 *Magis* quam custódes *auróram*, \* speret *Israel* in **Dómino**. Ant. Apud Dóminum.
- 7 *Quia* apud Dóminum *misericórdia*, \* et copiósa apud *eum* **redemptio**. Ant. Apud Dóminum.
- 8 *Et ipse* **redimet** *Israel* \* ex ómnibus *iniquitátibus* eius.  
Ant. Apud Dóminum.

## Antiphona II



**M**eménto me- i, \* Dómine De- us, dum véne- ris




in regnum tu-um.

## Psalmus 22



Y. I *Dóminus* pascit me, et nihil mihi **dé-** e-rit: \* in



páscu- is vi-réntibus me *collo-cá-* vit.



Ant. Meménto me- i.

- 2 *Super* aquas quiétis **edúxit** me, \* *ánimam meam re-  
fécit.* Ant. Meménto mei.
- 3 *Dedúxit* me *super sémitas iustítiaë* \* *propter nomen  
suum.* Ant. Meménto mei.
- 4 *Nam et si ambulávero in valle umbræ mortis, non ti-  
mébo mala,* \* *quóniam tu mecum es.*  
Ant. Meménto mei.
- 5 *Virga* tua et *báculus tuus* \* *ipsa me consoláta sunt.*  
Ant. Meménto mei.
- 6 *Parásti in conspéctu meo mensam* \* *advérsus eos  
qui tríbulant me.* Ant. Meménto mei.
- 7 *Impinguásti in óleo caput meum,* \* *et calix meus  
redúndat.* Ant. Meménto mei.
- 8 *Etenim benígnitas et misericórdia subsequéntur me* \*  
*ómnibus diébus vitæ meæ.* Ant. Meménto mei.
- 9 *Et inhabitábo in domo Dómini* \* *in longitúdinem  
diérum.* Ant. Meménto mei.

**Ant. III.** Habitábit, cum ps. 14 Dómine, quis habi-  
tábit, p. 411.

### Statio prima: in domo defuncti

Pro opportunitate cani potest unus aliusve e psalmis  
responsoriis sequentibus:

Ps. 129 De profúndis, cum responso Dómine, ex-  
áudi vocem meam, p. 104.

Ps. 22 Dóminus pascit me, cum responso In loco  
páscuæ, p. 131.

Ps. 88 Misericórdias Dómini, cum responso In ætér-  
num cantábo, p. 405.


Vel alius psalmus aptus, addito responso congruo.

### Ad processionem ad ecclesiam

Si delatio defuncti ad ecclesiam fit cum processione,  
cantari possunt sequentes psalmi responsorii vel anti-  
phonæ cum psalmis:

I. **Ps. 121** Lætátus sum, cum responso In domum Dómini, p. 406, vel, pro opportunitate, cum responso Allelúia, p. 332.


## II. Psalmus 125




Ψ. 1 In converténdo Dóminus captivi-tá-tem Si- on.



R̃. Facti sumus sicut conso-lá-ti.



Ψ. 2 Tunc reple-tum est gáudi-o os **no**-strum, \* et lin-




gua nostra exsulta-ti-ó- ne. R̃. Facti sumus.

- 3 Tunc dicébant inter **gentes**: \* « Magnificávit Dóminus fácere cum **eis** ». R̃. Facti sumus.
- 4 Magnificávit Dóminus fácere **nobíscum**; \* facti sumus lætántes. R̃. Facti sumus.
- 5 Convérte, Dómine, captivitátem **nostram**, \* sicut torréntes in **Austro**. R̃. Facti sumus.
- 6 Qui sémant in **lácrimis**, \* in exsultatióne **metent**. R̃. Facti sumus.
- 7 Eúntes ibant et **flebant**, \* semen spargéndum por-tántes. R̃. Facti sumus.
- 8 Veniéntes autem vénient in exsultatióne, \* portán-tes manípulos **suos**. R̃. Facti sumus.

Vel cum responso Allelúia, p. 332.

## III. Antiphona




**P** la-cébo Dómino \* in regi- ó-ne vi-vó-rum.


## Psalmus 114



ψ. 1 *Di-lé-xi*, quóni-am exáu-dit **Dóminus** \* vocem de-



pre-ca-ti-ónis **me-** æ. Ant. Placébo.



Flexa: invéni, †

- 2 *Quia* inclinávit aurem **suam mihi**, \* cum in diébus meis invocábam. Ant. Placébo.
  - 3 *Circumdedérunt* me **funes mortis**, \* et angústiaë inférni invenérunt me. Ant. Placébo.
  - 4 *Tribulatió-nem* et dolórem invéni, † et nomen **Dómini invocábam**: \* « O Dómine, líbera *ánimam meam* ». Ant. Placébo.
  - 5 *Miséricors* **Dóminus** et **iustus**, \* et Deus noster miserétur. Ant. Placébo.
  - 6 *Custódiens* **párvulos Dóminus**; \* humiliátus sum, et salvum *me* **fáci-et**. Ant. Placébo.
  - 7 *Convértere*, *ánima mea*, in **réquiem tuam**, \* quia **Dóminus benefécit tibi**. Ant. Placébo.
  - 8 *Quia* erípuit *ánimam meam* de **morte**, † **óculos meos a lácrimis**, \* **pedes meos a lapsu**. Ant. Placébo.
- IV. **Psalmus 115** Crédidi, p. 136, cum ant. Redémptor, p. 410.

## V. Antiphona

I f

**E**x-sultábunt Dómino ossa humi-li- á-ta.

## Psalmus 50

V. I *Mi-se-ré-re me-* i, *De-* us, \* secúndum mi-se-ricór-di- am tu- am. Ant. Exsultábunt.

- 2 *Et secúndum multitudinem miseratiónum tuárum \* dele iniquitátem meam.* Ant. Exsultábunt.
- 3 *Amplius lava me ab iniquitáte mea, \* et a peccáto meo munda me.* Ant. Exsultábunt.
- 4 *Quóniam iniquitátem meam ego cognóscó, \* et peccátum meum contra me est semper.* Ant. Exsultábunt.
- 5 *Tibi, tibi soli peccávi, \* et malum coram te feci.* Ant. Exsultábunt.
- 6 *Ut iustus inveniáris in senténtia tua \* et æquus in iudicio tuo.* Ant. Exsultábunt.
- 7 *Ecce enim in iniquitáte generátus sum, \* et in peccáto concépit me mater mea.* Ant. Exsultábunt.
- 8 *Ecce enim veritátem in corde dilexísti, \* et in occúlto sapiéntiam manifestásti mihi.* Ant. Exsultábunt.
- 9 *Aspérges me hyssópo, et mundábor; \* lavábis me, et super nivem dealbábor.* Ant. Exsultábunt.

VI. Psalmus 120 Levábo óculos, cum ant. Audívi vocem, p. 414.

VII. Psalmus 122 Ad te levávi, cum ant. Qui hábitas p. 245.

## Statio secunda: in ecclesia

Ad Missam, ut supra p. 401.

Ad ultimam commendationem et valedictionem

### Antiphona I

IV E



**N** e remi-niscá- ris,\* Dómine, de- lícta me- a,



vel paréntum me- órum: neque vindíctam sumas de



peccá-tis me- is.



### Psalmus 50



Y. I *Mi-se-ré-re me-i, De- us, \* secúndum mi-se-ri-cór-*




*di- am tu- am. Ant. Ne remi-niscá- ris.*

- 2 *Et secúndum multitudínem miseratiónum tuárum \* dele iniquitátem meam. Ant. Ne reminiscáris.*
- 3 *Tibi, tibi soli peccávi, \* et malum coram te feci. Ant. Ne reminiscáris.*


4 *Ut iustus inveniáris in senténtia tua \* et æquus in iudício tuo.* Ant. Ne reminiscáris.

5 *Audire me fácies gáudium et lætítiam, \* et exsultábunt ossa quæ humiliásti.* Ant. Ne reminiscáris.

### Antiphona II



I n pace \* in id-íp-sum, dórmi- am et requi-




éscam.


### Psalmus 4



¶. I Invo-cántem exáudi me, De-us iusti-ti-æ me- æ; \*



in tribu-la-ti-óne di-la-tásti mi- hi.



Ant. In pace.

2 *Miserére mei \* et exáudi oratiónem meam.*

Ant. In pace.

3 *Multi dicunt: « Quis osténdit nobis bona? » \* Leva in signum super nos lumen vultus tui, Dómine.*


Ant. In pace.

4 *Maiórem dedísti lætítiam in corde meo, \* quam cum multiplicántur fruméntum et vinum eórum.*

Ant. In pace.


- 5 *Quóniam tu, Dómine, singulariter in spe \* constituísti me. Ant. In pace.*

### Antiphona III

IV E 

C *redo vi-dé-re \* bona Dómini in terra vivén-*  
*ti- um.*

### Psalmus 26



Ψ. 1 *Dóminus illuminá-ti-o me-a et sa-lus me- a, \**



*quem tímé-bo? Ant. Credo.*



Ψ. 2 *Dóminus protéctor vi-tæ me- æ, \* a quo tre-pi-*




*dá-bo? Ant. Credo.*

- 3 *Ne avértas fáciem tuam a me, \* ne declínes in ira a servo tuo. Ant. Credo.*

- 4 *Adiútor meus es tu, ne me reícias, \* neque derelín-quas me, Deus salútis meæ. Ant. Credo.*

Dum corpus effertur ex ecclesia, cani possunt:


### Antiphona I



I n paradí-sum \* dedúcant te ánge-li: in tu-o




ad-ventu suscípi- ant te mártynes, et perdúcant te



in ci-vitá-tem sanctam Ie-rú-sa-lem.


### Antiphona II



C horus ange-ló-rum \* te sus- cí-pi- at, et cum




Láza-ro quondam páu-pe-re ætérnam hábe-as ré-




qui-em.

### Antiphona III



E - go sum \* resurrécti- o et vi-ta: qui credit in



me, ét- i- am si mórtu-us fú-e-rit, vivet: et omnis




qui vivit et credit in me, non mo-ri-é-tur in æ-




térnum.

### Psalmus 113 A



Y. 1 In éx-i-tu Isra-el de Ægyp-to, \* domus Iacob de



pópu-lo bárbaro. Ant. Ego sum.


- 2 *Factus est Iuda sanctuárium eius, \* Israel potéstas eius. Ant. Ego sum.*
- 3 *Mare vidit et fugit, \* Iordánis convérsus est retrórsum. Ant. Ego sum.*
- 4 *Montes saltavérunt ut arietes, \* et colles sicut agni óvium. Ant. Ego sum.*
- 5 *Quid est tibi, mare, quod fugísti? \* et tu, Iordánis, quia convérsus es retrórsum? Ant. Ego sum.*
- 6 *Montes, quod saltástis sicut arietes, \* et colles, sicut agni óvium? Ant. Ego sum.*
- 7 *A fácie Dómini, contremísce, terra, \* a fácie Dei Iacob. Ant. Ego sum.*
- 8 *Qui convértit petram in stagna aquárum, \* et sílicem in fontes aquárum. Ant. Ego sum.*

## Ad processionem ad cœmeterium


Dum corpus fertur ad cœmeterium, cantari possunt:

**Psalmus 117** Confitémini Dómino, p. 427, cum ant.  
Aperíte mihi, p. 403, vel:


### Antiphona I

I f  **H** æc porta Dómi-ni: \* iusti intrábunt in e- am.


### Psalmus 117



ψ. 1 *Confí-témi-ni* Dómino, quóni- am bo- nus, \* quóni-



am in sæcu-lum mi-se-ri-córdi- a e- ius.



Ant. Hæc porta. Flexa: virtútem, †

- 2 *De tribulatióne invocávi Dóminum, \* et exaudivit me edúcens in latitúdinem Dóminus.* Ant. Hæc porta.
- 3 *Dóminus mecum adiútor meus, \* et ego despíciam inimícos meos.* Ant. Hæc porta.
- 4 *Bonum est confúgere ad Dóminum, \* quam confídere in hómine.* Ant. Hæc porta.
- 5 *Fortitúdo mea et laus mea Dóminus, \* et factus est mihi in salútem.* Ant. Hæc porta.
- 6 *Vox iubilatiónis et salútis \* in tabernáculis iustórum.* Ant. Hæc porta.

- 7 *Déxtera Dómini fecit virtútem, † déxtera Dómini exaltávit me, \* déxtera Dómini fecit virtútem.*  
Ant. Hæc porta.
- 8 *Non móriar, sed vivam, \* et narrábo ópera Dómini.*  
Ant. Hæc portá.
- 9 *Castígans castigávit me Dóminus, \* et morti non trádidit me.* Ant. Hæc porta.
- 10 *Aperíte mihi portas iustítiæ, \* ingrèssus in eas confitébor Dómino.* Ant. Hæc porta.
- 11 *Confitébor tibi, quóniam exaudísti me, \* et factus es mihi in salútem.* Ant. Hæc porta.
- 12 *Deus meus es tu, et confitébor tibi, \* Deus meus, et exaltábo te.* Ant. Hæc porta.

### Antiphona II

II D  
S



i-tí-vit \* ánima me-a ad De-um vivum:




quando véni-am, et appa-ré-bo ante fá-ci-em




Dómi-ni?


### Psalmus 41




¶. I *Quemádmmodum de-síde-rat cervus ad fontes a-*



quá-rum, \* i-ta de-sí-derat ánima me-a ad te, De-



us. Ant. Si-tí-vit.




Flexa: mi-se-ricórdi- am **su**-am, †

- 2 *Fuérunt* mihi lácrimæ meæ panis die ac **nocte**, \* dum dicitur mihi cotidie: « Ubi est **Deus tuus?** » Ant. Sitívit.
- 3 *Hæc recordátus* sum et effúdi in me ánimam **meam**; \* quóniam transíbam in locum tabernáculi admirábilis usque ad *domum Dei*. Ant. Sitívit.
- 4 *In voce* exsultationis et confessiónis, \* multitudinis festa **celebrántis**. Ant. Sitívit.
- 5 *Quare* tristis es, ánima **mea**, \* et quare conturbáris **in** me? Ant. Sitívit.
- 6 *Spera* in Deo, quóniam adhuc confitébor **illi**, \* salutare vultus mei et **Deus meus**. Ant. Sitívit.
- 7 *In die* mandávit Dóminus misericórdiam **suam**, † et nocte cánticum eius apud **me** est: \* orátio ad Deum vitæ **meæ**. Ant. Sitívit.

### Antiphona III




**D**e-lícta \* iuventútis me-æ et igno-ránti- as




me- as, ne memí-ne- ris, Dómi-ne.


## Psalmus 24



Ψ. 1 *Ad te, Dómine, levá-vi ánimam me-am, \* De-us*



*me-us, in te confído: non erubé-scám.*



Ant. De-lícta.

- 2 *Vias tuas, Dómine, demónstra mihi, \* et sémitas tuas édoce me. Ant. Delícta.*
- 3 *Reminíscere miseratiónum tuárum, Dómine, \* et misericordiárum tuárum, quóniam a sæculo sunt. Ant. Delícta.*
- 4 *Secúndum misericórdiam tuam meménto mei tu, \* propter bonitátem tuam, Dómine. Ant. Delícta.*
- 5 *Dulcis et rectus Dóminus, \* propter hoc peccatóres viam docébit. Ant. Delícta.*
- 6 *Univérsæ viæ Dómini misericórdia et véritas \* custodiéntibus testaméntum eius et testimónia eius. Ant. Delícta.*
- 7 *Propter nomen tuum Dómine, propitiáberis peccáto meo; \* multum est enim. Ant. Delícta.*
- 8 *Oculi mei semper ad Dóminum, \* quóniam ipse evéllit de láqueo pedes meos. Ant. Delícta.*
- 9 *Réspice in me, et miserére mei, \* quia únicus et pauper sum ego. Ant. Delícta.*
- 10 *Vide humilitátem meam et labórem meum, \* et dimítte univérsa delícta mea. Ant. Delícta.*


## Antiphona IV

VII c




C aro me- a \* requi-escet in spe.


## Psalmus 15




Ψ. 1 *Consérva* me, De- us, quóni- am sperá- vi **in** te.



Ant. Caro me- a.



Ψ. 2 *Di- xi* Dómino: « Dóminus me- us es tu, \*



bonum mihi **non** est **sine** te». Ant. Caro me- a.



Flexa: vi- as vitæ, †

3 *Dóminus* pars hereditátis meæ et cálicis mei: \* tu es qui détines **sortem** meam. Ant. Caro mea.

4 *Funes* cecidérunt mihi **in** præcláris; \* însuper et heréditas mea speciósa est **mihi**. Ant. Caro mea.

5 *Benedícam* Dóminum qui tríbuit mihi **intelléctum**; \* însuper et in nóctibus erudiérunt me **renes** mei. Ant. Caro mea.

- 6 *Proponébam* Dóminum in conspéctu **meo semper**, \*  
quóniam a dextris est mihi, non **commovébor**.  
Ant. Caro mea.
- 7 *Propter* hoc lætátum **est** cor **meum**, \* et exsultavé-  
runt **præcórdia mea**. Ant. Caro mea.
- 8 *Quóniam* non derelínques ánimam meam **in inférno**, \*  
nec dabis sanctum tuum vidére **corruptiónem**.  
Ant. Caro mea.
- 9 *Notas* mihi fácies vias **vitæ**, † plenitúdinem lætítiæ  
cum **vultu tuo**, \* delectatiónes in **déxtera tua usque**  
in **finem**. Ant. Caro mea.

### Statio tertia: ad sepulcrum

In fine totius ritus aliquis cantus haberi potest, iuxta consuetudinem locorum.